





Pra. 14. num. 9.

26

1767.11.

PERANTIQVAE ELECTORALIS ACADEMIAE  
ERFURTENSIS

R E C T O R

MODO ORDINIS IVRECONSULTORVM DECANVS

D. RUDOLPH. CHRIST.  
HENNE, ICTVS

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, ORDINIS ICTORVM ET IUDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ADSESSOR, NEC NON CODICIS ET IVRIS FEVDALIS PROFESSOR PUBLIQVS ORDINARIVS,

SOLEMNIA IN AVGVRALIA

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI

DN. CHRISTIANI FRIDERICI GERMANN

HAMBVRGENSIS.

AD DIEM X. SEPTEMBR. MDCLXVII.

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI

PERAGENDA

INDICIT,

SIMVLQVE DE


IVRAMENTI DELATIONE

IN OMNI PARTE IUDICII LICITA

QVAEDAM PRAEFATVR.

ERFORDIAE, LITERIS HENR. RUE. CONNI, ACAD. TYPOGR.







§. I.

**O**mne in foro litigantium fortunam, spem, & totius litigii  
euentum, a probatione ab illis suscipienda, quam maxime  
dependere, eo certius est, quo magis constat, quod mediis  
probationis deficientibus ipsa eriam causa cadant, utrūcunq[ue] iustitia  
illius patrocinetur, & hoc modo sub iusto succumbere debeat cly-  
peo, dum illis non deest ius, sed probatio illius, iudex enim non ex  
priuata scientia, sed secundum acta & probata sententiam ferre, il-  
lamque ad normam eorum, quæ in actis publicis continentur, ac-  
commode teatur.

§. II.

Quia vero probationem vis variis est obnoxia difficultatibus,  
ita, ut iis superandis sepiissime partes litigantes impares sint, hinc  
a 2 diuer-

diuersa a legibus prodita sunt subsidia, quibus hisce molestiis obexponi, & lubricum illud, quod probationem circumdat. ~~quod~~ ad modo euitari possit, hanc enim ob causam ~~idem~~ fautor, qui defensionibus est concessus, etiam probationibus in genere competit, vi cuius probandi via amplianda potius, quam restringenda, & probantium intentio, quois adiuuanda est modo, teste MEVIO. a)

a) Parte 1. Decis. 51.

### §. III.

Inter haec subsidia non ultimum occupat locum, iuramenti de-latio, quandocunque libuerit parti litiganti licita a) etiam si nihil probauerit b) conf. CARPOV. c) & SRVNEMANN d) vel etiam si probare coepit, & a probando desidererit, tempore enim probationibus destinato nondum elapso, missam facere potest speciem probationis coeptam, & variare, lex enim nostra indistincte nulla habita ratione temporis loquitur, & Edictum praeatoris e) idem vult, imo etiam ius diuinum eandem fuet sententiam f) quorum omnium ratio eo collimat, ut pars litigans omnibus deficientibus probationibus, saltim metu diuini Numinis ab aduersario extorqueat veritatem.

a) l. 12, pr. C. de rebus creditis.

b) l. 9. C. de reb. credit.

c) in proc. Tit. II. Art. I. n. 79.

d) in proc. cap. 23, n. 6.

e) l. 34 §. 6. ff de iure*ur.*

f) Exod cap. 2. v. 10, II.

### §. IV.

Obstare quidem huic sententiae videtur, quod actore non probante, reus absoluendus sit, sed quis non animaduertit, iuramenti de-latio-

\* \* \* \* \*

lationem pariter esse speciem probationis, licet subsidiariæ, ita, ut exulanter probatione per testes & documenta hæc sibi locum vindicet? deinde opponunt, omnem litigantem debere paratum in iudicio comparere, atque aduersarium propriis probationibus conuincere a) sed negamus hoc parti aduersæ suppetias ferre, cum iuramenti delatio, aduersarium testem & iudicem in propria constitutat causa b) qui ob id, si iurare sine iusta causa recusat, pro confiteente se malam causam habere, reputatur c) denique obiiciunt, auctorem vel reum nihil probantem quamcunque malam causam in iudicium deducere, atque vexare causa iuramentum deferre posse, sed quis est, quem fugiat, quod aduersario postulante, ille qui iuramentum detulit, prius de calumnia iurare debeat? quo ipso anima temerarii litigii præscinditur, cum quo eriam conueniunt Statuta Hamburg. d)

- a) I. 7. C. de testimoniis.
- b) I. vlt. C. de fideicommissione.
- c) I. 38. ff. de iure iurandi.
- d) parte 1. Tit. 33. Art. 1. §. 5.

§. V.

Supra asseruimus posse auctorem vel reum iuramentum deferre aduersario quandocunque libuerit, quod nunc eriam extendimus ad instantiam appellantis, si enim in prima instantia quis ob inopiam probationum succubuerit, in secunda adhuc ob beneficium legum a) iuramenti relatio locum habebit, conf. STRYCK. b)

- a) I. 4. C. de appellat.
- b) in introduct. ad praxin for. cap. 20. §. 2.

§. VI.

Vt ut igitur in quacunque iudicij parte in regula locum sibi



vindicet iuramenti delatio, fallit tamen hæc regula si probans in probando defecerit, hoc enim casu altera pars termino probatorio praeterlapsa absoluenda erit, optime docente BOEHMERO a) quapropter insignis pro probante cautela est, ut si forte subolfecerit, testes pro ipso non deposuissent, protestetur contra publicationem attestatorum, & deferat parti aduersari iuramentum, quo pacto non statui potest, quod in probando defecerit, conf. STRYCKIVS b)

a) Consult. & decis. tom. 3. parte 2. decis. 230.

b) in Introd. ad praxin cap. 20. §. 2.

#### S. VII.

Alteram exceptionem suppeditat Ius Saxonum, vbi ante litem contestatam & guarandam praestitam iuramenti delatio fieri debet, & deinde deferens non amplius auditur, etiam si protestetur de iure suo, vel sibi facultatem iuramenti delationis referuet, nisi post litem contestatam nouum quid emergat, super quo iuramentum deferre velit, conf. CARPOV a)

a) in proc. Tit. II. Art. 2. n. 99. seq.

#### S. VIII.

Plena manu hoc argumentum prosequeremur, nisi propemptici inauguralis angusti termini hoc prohiberent, & ille qui huic commentationi ansam dedit, pluribus illud in lectione, quam vocant, curatoria ad l. 12. princ. C de rebus creditis, deducendum suscepisset, nobisque hac in re otium fecisset, cathedram enim publicam hunc in finem conscederet,

NO-

◊♦◊♦◊♦◊♦◊

7

NOBILISSIMVS AC CLARISSIMVS  
DN. CHRISTIAN. FRIDERICVS GERMANN  
HAMBVRGENSIS

IVRIVM CANDIDATVS DIGNISSIMVS

qui de rebus ad se ipsum spectantibus, sequentia nobis retulit:

**N**atus sum A. R. S. Cl<sup>o</sup> 19 CCXXXVIII, die II. Ian. Hamburgi urbe  
splendidissima iuxta Albin sita & Sacri Romani Imperii Germanici li-  
bera Republica. Parentes Christianum Fridericum Germanum Inspectorem  
molendinorum valde meritum & Susannam Graumann, que mihi absenti morte  
erupta est, natus sum. Horum charissimorum cura tenellis adhuc annis scho-  
las triuiales ad primā cogitationē humana rudimenta discenda frequenterai,  
postea in scholam, quę Hamburgi floret, publicam Iohanneum dictam me contuli,  
ubi maxime egregia informatione nobilissimi I. S. Müller Rektoris & ampli-  
fissimi I. Müller Correctoris nec non praeclarissimi I. I. Volkmanni Subcon-  
tutoris precipue usus sum, ad ingredienda & perficienda studia, quę ad humani-  
tatem pertinent, & quamvis nomina aliorum doctissimorum preceptorum, nunc  
inter cœlestes agentium laude dignissima silentio præteream, tamen corum meri-  
ta non ignoro. Ad altiora studia preparatus Gymnasium nostrum illustre adi,   
ubi in logicis, & metaphysicis, instructione prenobilissimi M. I. V. Nötingii Log.  
Metaph. & Eloqu. PP., in mathematicis & physicis institutione prenobilissimi  
& amplissimi I. G. Büschii Math. PP. & in moralibus & bistoria Iuris doctri-  
na longe celeberrimi I. Wunderlichii I. V. D. & Mor. PP. per biennium fructus sum.

Quibus litteris elegantioribus instrutus anno Cl<sup>o</sup> 19 CCCLXIII. itam me  
contuli, ubi a viro Prenobilitato atque Magnifico C. F. Polzio. Log. & Me-  
taph. PP., tunc temporis fasces academicæ tenente, die IX. Maii in numerum  
ciuium academicorum sum receptus. Ex quo tempore professorum prelectiones  
per triennium & quo excurrit sedulo, ut fas est, frequentavi. Absque grato  
animo hic memoriam non possum deponere preceptorum meorum, virorum Il-  
lustrium Excellentissimorum & Consultissimorum & quidem Illustris I. A. Hell-  
feldii, qui me Pandectas & Ius Feudale solide docuit, Illustris I. E. Schmidii,  
qui in historia uniuersali, Sacri Romani Imperii & in peritia rerum ciuilium  
(Statistik) nec non in iure Publico me instruxit, prenobilissimi I. E. B. Wi-  
deburgii qui me Matheſin applicatam edocuit, Consultissimi C. F. Walchii, qui  
me in iure Cambiali eruditini. Consultissimi I. L. Schmidii, qui me Institutiones  
iuris ciuilis, Iurisprudentiam Struvianam Romano Germanicam forensim, Ius  
Germanicum, & doctrinam de actionibus diligenter perdocuit, amplissimi Con-  
sultis



sultissimumque S. Rauii qui in Iure nature, Iure Criminali, Canonico, atque arte disputandi me instituit, prae nobilissimi I. G. Mülleri qui rem heraldicam, diplomaticam, & numismaticam diligenter mihi tradidit, celeberrimi C. A. Titelii, qui in Institutionibus iuris civilis me eruditus. Et Consultissimi, longeque celeberrimi Sonnenschmidtii, qui in processu judiciali collegio elaboratorio-practico & relatio me adiuvit.

Cum igitur Candidatus noster praestauissimus, tempus vita aca- demica destinatum optime collocauerit, perantiquam nostram adit Hieranam, & literis ad ordinem nostrum exaratis, se consequendorum summorum Iurisprudentiae honorum causa, ad specimenina inauguralia admitti velle, ea qua decet modestia, significauit, cui honesto desiderio locam dare nulli dubitauimus, admissus ad hæc specimenina, textus juris ipsi prescriptos probe interpretatus est, & in examine, quod a rigore nomen trahit, quæstiones propositas & legum difficultates optime dissoluit, ita, ut illum is quo sit honoribus, omnino dignum iudicauerimus. Publica proinde solum restant specimenina, quibus expediens dies X. Sept. destinata est, qua in l. 12. princ. C. de rebus creditis publicas habebit recitationes, isdemque finitis, inauguralem suam Dissertationem de

### TESTAMENTO PVBLICO PER REPETITIONEM

AB ACTIS VEL SCRINIIS PRINCIPIS RVPTO  
me præside, contra dissentientium obiecções defendet. Ad quam panegyrin debito splendore condecorandam, Reuerendissimus & Per- illustris Academia nostræ DN. Procancellarius, singulorum ordinum spectabilissimi Decani, venerabiles Seniores, & reliqui proceres una cum ciuibus Academicis, ea qua decet submissione & obseruantia inuitantur & rogantur. Publ. sub Sigillo Facultatis Iuridicæ d. 6.  
Sept. MDCLXVII.

(L. S.)

ERFURT, Diss., 1761/67

SS.

ULB Halle  
004 995 333

3




VDR8





B.I.G.

Farbkarte #13



Pra. 14. num. 9.

26

PERANTIQVAE ELECTORALIS ACADEMIAE  
ERFURTENSIS

R E C T O R

MODO ORDINIS IVRECONSULTORVM DECANVS

D. RUDOLPH. CHRIST.  
HENNE, ICTVS

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSI-  
LIARIVS REGIMINIS, ORDINIS ICTORVM ET IVDICII  
ELECTORALIS PROVINCIALIS ADSESSOR, NEC  
NON CODICIS ET IVRIS FEVDALIS PRO-  
FESSOR PVBLICVS ORDINARIVS,

SOLEMNIA IN AVGVRALIA

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI

DN. CHRISTIANI FRIDERICI GERMANN

HAMBVRGENSIS.

AD DIEM X. SEPTEMBR. MDCCCLXVII.

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI  
PERAGENDA

INDICIT,

SIMVLQVE DE

IVRAMENTI DELATIONE

IN OMNI PARTE IVDICII LICITA

QVAEDAM PRAEFATVR.

ERFORDIAE, LITERIS HENRI RUD. HENNI, ACAD. TYPOGR.

